



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 10. In qua parte corporis fieri debet hæc effusio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Baptismi. Cap. II. 63

quia enim à principio nascentis Ecclesia quidam de Trinitate malè sentiebant, Christum purum hominem esse existimantes, nec dici filium Dei & Deum nisi propter meritum ejus quod præcipuè fuit in morte; ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, sed in commemoratione mortis Christi, & unâ immersione, quod reprobatur in primitiva Ecclesia: Unde in Canonibus Apostolorum, Can. 50. legitur: Si quis Presbyter aut Episcopus non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in Baptismate (quod dari à quibusdam dicitur in morte Domini) deponatur; non enim nobis dicit Dominus: in morte mea baptizate; sed in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Postmodum verò inolevit quorundam schismaticorum & hæreticorum error, homines rebaptizantium: Sicut de Donatistis Augustinus narrat, super Joan. 11. & ideo in detestationem erroris eorum fuit statutum in Concilio Toletano 4. quod fieret una sola immersione, ubi sic legitur Can. 5. Propter vitandum schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus Baptismi immersionem. Sed cessante tali causâ communiter observatur in Baptismo trina immersio. Et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesia non observans, nihilominus tamen esset Baptismus. Nunc autem loco trinæ immersionis, trina adhibetur effusio, juxta præscriptum Ritualis Romani.

Quæst. 10. In quam parte corporis fieri debet effusio aquæ, ad validitatem Baptismi?

Resp. Administrans Sacramentum ter aquam effundere debet super caput baptizandi ad modum Crucis, ut habetur in Rituali Romano. Unde sanctus Thomas ait: *Dicendum*

D. Th. 3. p. q. 68. art. 11. ad 4. quòd expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad Baptismum, nisi mors immineat.

Si tamen primò caput egrediatur in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente, & non est postea rebaptizandus, si eum perfectè nasci contigerit. Et videtur idem faciendum quacumque alia pars egrediatur, periculo imminente: quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vita ita consistit, sicut in capite, videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis ablutâ, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo. Idem asserit Divus Carolus, Actor. p. 4. de Baptismi administratione.

Quest. 11. Licet-ne in casu necessitatis baptizare puerum adhuc existentem in utero matris?

Resp. Non licet, ut ait sanctus Isidorus relatus in Canone: *Qui in maternis, inquit, maternis. dist. 4. de consecrat.* *uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt; quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest: neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non precessit.*

Quest. 12. Licet-ne occidere matrem cum creditur moritura, ut possit baptizari puer quem gestat in utero?

D. Th. 3. p. q. 68. art. 11. ad 3. Resp. Sanctus Thomas sic respondet: *Dicendum quod non sunt facienda mala ut veniant bona, ut dicitur Romanorum 3. & ideo non debet homo occidere matrem ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.*

S. Carol. Actor. p. 4. De Sanctus autem Carolus ita monet Parochos: *Parochus aliquando monebit ut obstetrix alia-*